

nulla fu falto, e si verificasse che effettivamente anche per essi abbia avuto luogo l'istesso difetto, Attendo con impazienza un suo venerato riscontro e m' inchino al bacio della Sacra Porpora protestandomi col più profondo rispetto.

P. S. Dopo scritta la presente vengo a riconoscere, che sebbene nella sera dello scorso Sabato, mi fossi fatto premura di scrivere al Superiore di detti Religiosi per impedire ch' esercitassero l' Ordine, pure non essendo giunta in tempo la Lettera, uno di essi lo esercito e puo essere accaduto lo stesso per gli altri.

S. C. rescripsit: Simulac Amplitudinis Tuae epistolam datam accepimus super omissione traditionis libri Evangelior., quae inconsulto accidit in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem. Sacra Congreg. in suo et Consultorum sensu respondet, quod, si Amplitudo Tua prudenter iudicet moram temporis, quae inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formae cum traditione materiae merito censeatur abrupta, Ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis Officium publice tuta conscientia (si aliud non obstat impedimentum) pro ratione sui Status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa libri Evang. simul protulit formam, sciat se posse acquiescere et ita Ordinatos in suorum

Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam libri Evang. sine forma, tutius erit, si Ordinatis hujusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu si tempus proximae futurae Ordinationis ad hujusmodi supplementum a Canone constitutum expectari nequeat, vel ob periculum scandali vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias, nec aliud obstat impedimentum, poterit ab Interstitiis dispensare et proximo quove festo defectum prudenter et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat saeculares, de quibus, prout in casu exponitur, dubitatur, an ommissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit, ut Ordinati hujusmodi innotescant, (quod non videtur tam difficile, si Catalogum, quem apud se certe habebit, Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat, et eos, in quos suspicio hujusmodi cadere potest, caute et secreto circa hujusmodi dubium interrogari faciat). Si quos igitur invenerit, quibus eadem contingit ommissio, idem praestabit, quod superius dictum est de duobus Religiosis et si eos Ordinem Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repererit, a Censuris, quatenus opus fuerit, (si nihil aliud obstat) absolvat et ad ejusdem Ordinis ministerium et officium in posterum, quatenus opus fuerit exercendum, hoc est ad pie et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit. n. 4813 die 16. Junii 1837.

3) Evangelii Osculum.

Vd.: *Evangel.* (oscul. Episcopi in Ordinat.)

DIACONI ASSISTENTES.

1) Abbatum.

Licere Abbatibus *Congreg. Camaldul.*, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitibus permittitur uti *assistencia duorum Diaconorum* ultra Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Prior usum Pontificalium habens non habeat duos Diaconos assistentes, sed contentus esse debet Diacono et Subdiacono Missae et uno Capellano cum pluviali assistenti. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbatibus, quando celebrant solemniter, non habeant duos Diaconos assistentes. n. 531. die 18. Martii 1617.

Vd.: *Usus Pontifical.*

2) Episcopi.

a) In Coena Dom.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSnum. decr. n. 4672).

b) In Ecclesia Cathedr.

Vd.: *Canonici assist.* (dum Episcop. etc.); *Biretum Canonic. assist.*; *Assistens*; *Canonici (Ministri)*; *Canonicus non consecratus*; *Episcopus assist.*; *Sedes assistentium Episcopo.*; *Genusl. in bened. cum SSmo.*

Episcopo pontificaliter et solemniter celebranti Archidiaconum a dexteris et alium Diaconum a sinistris diaconaliter paratos assistere oportet. n. 15 ad 12 die 16. Mart. 1591; n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

Dignitates proxime sedentes post Archidiaconum assistere debere in loco duorum Diaconorum et recusantes etiam sub censuris cogendos esse. n. 1599 die 21. Novb. 1648. Episcopus potest cogere Dignitates, ut ei, absentibus Diaconis et presbyteris Canonicis in

munere Diaconi assistentis inserviant. n. 1803 die 10. Junii 1656.

Munus assistendi Episcopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi mitram etc. pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem *Diaconum* Canonicum, ambos dalmaticis indutos. Quodsi Canonicus *Diaconus* nullus aderit, ultimum *Presbyterum* Canonicum in diaconali habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Episcopi et Archidiaconus a dexteris, licet ipse Archidiaconus ordine tantum diaconali fuerit initiatus. n. 21 ad 6 die 23 Mart. 1592.; n. 91 die 24. Jan. 1595.

Ad Diaconos assistentes pertinet onus elevandi fimbrias Pluvialis hinc inde, quando Episcopus progreditur et dum thurificat Altare. n. 351 ad 7 die 19. Maji 1607.

Vesperas vel Missas Episcopo solemniter celebranti Archidiaconus a dexteris et alter Canonicus Diaconus . . . a sinistris diaconali habitu induti assistere debent. Quodsi Diaconus nullus adsit, tum Canonicus alius ex ordine presbyterali assistentis diaconi munus suppleat. n. 33 ad 1 die 17. Novb. 1592.

Episcopo vero non celebranti *sed Divinis assistenti* iidem assistere debent. *Ibidem.*

Si habeat Episcopus Missae solenni assistens cappam pontificalem, habeat Assistentes; secus, si sine cappa. n. 133 ad 3 et 4 die 2. Sept. 1597.

Quidam Canonici Diaconi praetendebent, quasi assistentes a dexteris et a sinistris Episcopi ad Ecclesiam cum cappa accedentis procedere. S. R. C. resp.: Canonici Diaconis praedictum locum non convenire, *nisi quando Episcopus paratus cum mitra* ad Ecclesiam accedit. n. 157 die 3. Aug. 1602.

Nullam Episcopo convenire assistentiam neque Diaconorum neque Presbyterorum, quando *procedit cum*

cappa, nec est sacris vestibus paratus. n. 166 die 30. Aug. 1602.

Archidiaconus Officium presbyteri assistentis exercet, duo digniores Canonici immediate sequentes post Primicerios officium duorum Diaconorum assistentium exercent. Quod si vero Archidiaconus *non erit Presbyter*, officium primi Diaconi assist. exercent, illud secundi Diaconi assist. exercent primus Canonici immediate sedens post Primicerium et Archipresb. munus presb. assistentis exercent.

Quotiescunque vero Episcopo tantum *praesenti Archipresbyter* assistat, a duobus primis Canonici immediate sequentibus *post* Primicerios officium Diaconorum assistentium exercendum esse. n. 212 die 6. Sept. 1603.

Quando Praebendae non sunt distinctae, duo Diaconi assistentes apud solium Episcopo erunt primae duae Dignitates immediate sequentes post primam, si autem inter Praebendatos Canonicos perpetua, non autem accidentalis, esset Ordinum distinctio in presbyterales et diaconales pro munere assistentiae assumuntur primi duo Canonici ex ord. diaconali. Diaconus vero Evangelii et Subd. Epistolae, quando tale onus inter omnes per vices vel alias juxta ecclesiae consuetudinem non sit, erunt alii duo digniores, sive Canonici sive Dignitates fuerint, qui sequuntur in Ordine post ass. Canonicos in solio, si nulla intercedat Ordinum vel Praebendarum distinctio. n. 4176 ad 3 die 4. Sept. 1745. Assistentiam praestare Episcopo sol. celebranti spectare ad Diaconos. n. 4334 dd. 1 die 21. Junii 1766.

In functionibus publicis, quae fiunt absque interventu Archiepiscopi ab aliquo Episcopo, non tamen Suffraganeo sed *ab Ordinario ad id deputato* tenentur Canonici et Dignitates eadem obsequia praestare, quae deleganti

praestare tenentur. n. 238 ad 2 die 20. Mart. 1604.

Assistentiam duarum Dignitatum vel Canoniorum tantummodo Episcopo *loci Ordinario* et nulli alteri convenire. n. 310 die 9. Maji 1606.

Quotiescunque Episcopus solemniter celebrat sive Ordinationes teneat, sive non, convenit, ut ei saltem illae personae assistant, de quibus in libro Caerem. mentio habetur. n. 319 die 17. Junii 1606.

Cum in Ecclesia Placentina praebendarum ordo distinctus non sit, ita ut Presbyteri anteponantur Diaconis et Diaconi Subdiaconis, prout deceret et maxime conveniret, servanda est consuetudo Ecclesiae, ut, Episcopo celebrante, prima Dignitas ei assistat et de libro serviat et duo sequentes Dignitates duorum Diaconorum assistentium munus sustineant; *quando vero Praebendae distincte essent*, non Dignitates sed duo primi Canonici Diaconi id munus exercent.

Quando autem Episcopus facit ordinationes generales vel alias functiones Episcopales, si illas *solemniter* cum Missa *cantata* celebret, idem Ordo servandus est et iidem Assistentes Episcopo inservire et ministrare debent, qui in Missis solemnibus ministrare solent.

Si vero Episcopus dictas functiones *sine Missa solenni* facere voluerit, quia etiam tunc erit omnibus paramentis pontificalibus indutus, *conveniens* est, ut iidem, vel illis impositis, saltem duo alii Canonici parati assistant, praeter Archidiaconum, qui vocat Ordinandos, et Presbyterum, qui de libro serviat et alios, qui juxta Pontificale in Ordinationibus requiruntur. Alii vero Canonici ad publicas Ordinationes, quae *sine Missa cantata* fiunt, in habitu canonicali

assistere poterunt. n. 351 ad 2 die 19. Maji 1607.

Servandam esse formam libri Caeremon., ut quando Episcopus solemniter celebrat, duae Dignitates vel Canonici praeter Diaconum et Subdiaconum ei assistant, ut in libro Caerem. lib. I. c. VIII. de assistentia duorum Canoniorum in habitu diaconali cavetur. n. 399 die 10. Jan. 1609.

Diac. assist. cantant duas penultimas lectiones ad Matutinum. Vd.: *Lectiones*.

Ad dubium: Utrum Episcopo *assistenti Concioni* in sua sede ordinaria cum Cappa Pontificali debeatur assistentia duorum Canoniorum? S. R. C. resp.: „In hoc exquiri solitum Ecclesiarum vicinarum“. n. 777 ad 5 die 20. Novb. 1628.

Dignitates et Canonici assistentes inservientes non tenentur genuflexi ministrare. n. 973 die 15. Decembrii 1632.

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sint de eodem Capitulo. n. 1019 die 26. Maji 1635.

Non licere *Coadjutoribus* Canoniorum absentibus Coadjutis *inservire pro Assistentibus Episcopo solemniter celebranti*, vel cum cappa Divinis interessenti, sed hoc munus pertinere ad *veros Canonicos* ordine successivo. n. 1042 die 24. Maji 1636.

Dignitates sive Canonici, qui assistunt Archiepiscopo, supervenienti Dignitati sive Canonico digniori locum assistentiae cedere debent. 1597 ad 2 die 5. Sept. 1648.

In Missa pontificali Episcopi tres Canonicos assistere debere. n. 1741 die 14. Novb. 1654.

Fer. V. in Coena Dom. Episcopus pedes Canoniorum lavans debet habere assistentiam duarum Dignitatum

ad formam caerem. n. 4317 ad 8 die 6. Aug. 1763.

Cf.: *Suffraganeus*; *Coadjutor*; *Purificatio B. V. M.*

c) Extra Ecclesiam Cathedrali.

Cf.: *Canonici Colleg.* (assistant.); *Canonici Cathedr.* (assistantes extra Cathedr.); *Canonici* (assist. in hab. canonicali).

Licet Archiepiscopo compellere Canonicos, quoties ad alias Ecclesias Civitatis et Suburbiorum accedit ad aliquod munus pontificale exercendum, ut sibi inserviant et ministrent; curet vero, ne Ecclesia Metropolitana Ministris omnibus destituatur et Officio defraudetur. — In Ecclesiis, in quibus adsint aliae Dignitates et Canonici, curet, ut omnes confusiones... removeantur; et sciat Dignitates et Canonicos Ecclesiae Metrop. debere praecedere Dignitates et Canonicos Ecclesiae Colleg. n. 21 ad 2 die 23. Mart. 1592; n. 159 ad 4 die 3. Aug. 1602; n. 2260 die 26. Jan. 1664; n. 4317 ad 10 die 6. Aug. 1763.

Cum Episcopus ad aliam Ecclesiam suae civitatis accedere voluerit, non posse semper Canonicos cogere, ut eidem assistant, sed ita demum, si ob aliquam publicam solemnitatem vel celebraturus vel Episcopales functiones executurus vel ad Ordines conferendos accesserit. Quo casu etiam curare debet, ut in Ecclesia Cathedr. remaneant Canonici et Ministri necessarii pro ejus servitio. n. 205 die 5. Julii 1603.; n. 1540 ad 3 die 16. Sept. 1645; n. 1711 die 20. Junii 1654. Idem decretum est n. 2325 ad 5 die 20. Junii 1665 cum appendice: *Sive ipse sive alter sit celebraturus*; n. 2349 die 19. Decb. 1665.

Teneri Canonicos et cogi posse ab Episcopo ut sibi ministrent et inserviant non modo in Cathedrali, verum etiam in quibuscunque aliis suae civi-

tatis Ecclesiis, ad quas ad publicas vel solennes Episcopales functiones exercendas Episcopum ire contigerit. n. 228 die 10. Jan. 1604.; n. 4193 ad 1 die 16. Sept. 1747.

Illi tantum Canonici et Ministri Ecclesiae Cathedr. Episcopo extra Cathedrali in alia Ecclesia civitatis Pontificalia exercenti assistant, qui necessarii Ministerio sunt et ob quorum absentiam in Ecclesia Cathedr. chori servitium non deseratur. n. 339 ad 3 die 17. Mart. 1607.

Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cath. seu Metrop. . . . manutenendos esse semper et ubique, etiam in Ecclesia Colleg. (s. Petronii) possessione assistendi Archiepiscopo celebranti vel Pontificalia exercenti, donec et quousque Capitulum et Canonici s. Petronii (Colleg.) allegatam immemorabilem consuetudinem legitime juridiceque probaverint. n. 376 die 10. Maji 1608.

Canonicos teneri ministrare Archiepiscopo Ordinationes tam intra quam extra Ecclesiam Cathedr. celebranti, dummodo in Cathedr. tot Canonici et Ministri remaneant, qui satis sint ad Divina Officia celebranda. n. 459 die 7. Julii 1612; n. 3103 ad 2 die 23. Mart. 1685.

In omnibus Ecclesiis parochialibus et Collegiatis assistentiam Episcopo Pontificalia celebranti pertinere ad Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedr., si cum Episcopo erunt, non autem ad proprios Presbyteros vel Canonicos Eccles. Colleg. vel Parochialis, in qua Episcopus exercet Pontificalia. n. 545 die 15. Julii 1617.

Omnes functiones, quae fiunt per Episcopum sive in Cath. sive in Collegiatis suae Dioecesis, esse faciendas cum assistentia Canonico Cathedralis et non aliorum. n. 868 die 20. Julii 1630.

Canonicos Cathedralis non solum teneri sed etiam cogi posse, ut Epis-

copo inserviant, quando accedit ad alias Ecclesias extra Cathedrali ad Episcopales functiones exercendas. n. 774 ad 2 die 20. Novb. 1628; n. 1562 die 11. Aug. 1646.

Canonicos Ecclesiae Cathedr. omnino inservire debere etiam extra Cathedrali et non alios inferiores. n. 927 die 2. Aug. 1631.

Tres Canonicos Cathedralis in civitate teneri assistere Archiepiscopo Pontificalia exercenti; at extra civitatem non esse cogendos. n. 1910 ad 2 die 13. Julii 1658.

Episcopo extra Cathedr. sed in civitate pontificaliter celebranti praeter Diaconum et Subdiaconum tres tantum Canonici tenentur assistere; non teneri autem extra civitatem. n. 3103 ad 2 et 3 die 23. Mart. 1686; n. 5004 ad 1 die 7. Decb. 1844.

Canonicis Cathedralis Sulmanensis exponentibus, se gravatos ab Episcopo ad praestandam eidem assistentiam, quando assistit Missarum solemnium, quae per Canonicum celebrantur extra Cathedrali, S. C. resp.: *Ut Canonici pareant Ordinario*. n. 2089 die 18. Decb. 1660.

Episcopo Labacensi in Pontificalibus celebranti extra Cathedr. in civitate tamen et suburbiis teneri Canonicos illi inservire. . . tam in missa quam in aliis functionibus solemnibus. Necnon, cum non sint Canonici Cathedralis nisi quatuor et duae Dignitates et unus vel alter infirmitatis etc. causa absit, Canonicos teneri ad inserviendum una cum Sacerdotibus non Canonicis, qui in supplementum sumuntur, et Episcopum posse ad id eos compellere. Et non deberi totum numerum ministrorum assumere ex dictis Sacerdotibus, dum ipsi Canonici assistunt tantum penes Episcopum in habitu canonicali. n. 2315 die 21. Mart. 1665; n. 2335 die 31. Julii 1665.

Canonici Colleg. Surrenti assistentes Archiepiscopo in throno Pontificalia

exercenti debent esse induti s. paramentis. n. 4031 ad 5 die 12. Mart. 1735.

Episcopo pontificaliter celebranti in Colleg. Melevitanae debetur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis. n. 4108 ad 4 die 21. Jan. 1741.

d) In habitu canonicali.

Vd.: *Canonici assist. in habitu canonic.*; *Episcopus assist. missae sol.*

e) Incensatio.

Cf.: *Assistens*.

Post thurificatum Episcopum thurificari debet prima Dignitas, assistens cum pluviali, secundo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi, tertio Dignitates et Canonici in choro sedentes, quarto caeteri. n. 33 ad 4 17. Novb. 1592*.)

Canonici et Vicarius ante Auditores et Advocatum Fiscalem thurificandi sunt. n. 42 die 16. Febr. 1593.

Nec ullum generari praejudicium Dignitatibus, si post Canonicos assistentes, licet ipsis Dignitatibus inferiores, thurificentur, quia ratione assistentiae et non Dignitatis procedit. n. 170 die 28. Sept. 1602.

Thurificandum esse primo Episcopum (assistantem) triplici ductu et post eum immediate Canonicos Cathedrali duplici ductu; deinde Abbatem duplici ductu et demum Canonicos Collegiatae unico ductu. n. 232 ad 4 die 7. Febr. 1604.

Dignitates et Canonici omnes prius thurificentur et pacis osculum accipiant quam Mansionarii. Et ideo recte fit, si prius Dignitates et Canonici ab una parte chori successive thurificentur, deinde aliae Dignitates et Canonici ab alia parte et postea Mansio-

*) Cf.: *Vicarius gener.* (incens. decr. n. 4174).

narii ab una parte et demum Praebendarii ab alia parte chori sedentes, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. n. 351 ad 3 die 19. Maji 1607.

Prius Presbyter, deinde Diaconi assistentes thurificentur, quamquam presbyter assistens non est prima Dignitas. n. 352 die 23. Junii 1607.

Vd.: *Canonici Cath.* (Incens.)

4) In missa de Req.

Ultra Diaconum et Subdiaconum Missae debent assistere Episcopo alii duo Diaconi assistentes prout in aliis pro vivis. n. 4815 ad XIII. 1 die 22. Sept. 1837.

g) In Ordinibus conferendis.

Ad dubium: An, accedente Episcopo a sede ad altare pro Ordinibus conferendis, duo Diaconi assistentes debeant illi inservire, cum haec actio non sit pars Missae, an vero Diaconus Evangelii et Subdiaconus? S. C. resp.: *Convenientius ministrari per Diaconum Evangelii et Subdiaconum, quia ipsi sunt, qui ministrant, alii vero Diaconi solummodo dicuntur assistentes*. n. 2946 ad 5 die 19. Apr. 1681.

Ad dubium: An duo Canonici assistentes parati (in Ordinatione) induere debeant Dalmaticam seu Planetam plicatam dumtaxat super Rochetto cum Amictu, vel super Albam cum Amictu, cum Manipulis, et unus cum Stola Diaconali?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, ad relationem per infrascriptum Secretarium factam, rescribendum censuit: „*Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 7^o*“.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. die 6. Sept. 1834. n. 4732.

Vd.: *Diac. ass. Ep.* (paramenta).

COMPOSTELLANA.

Reverendissimus hodiernus Compostellan. Archiepiscopus Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit, declarationem consecutus quoad sequens Dubium, nimirum: An Canonici Cathedralis teneantur assistentiam praestare Episcopo extra Cathedralem ipsam Sacras Ordinationes facienti?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, audita relatione a Secretario facta, perpentes alias ab hac Sacra Congregatione decretum fuisse: Canonicos Cathedralis teneri ad assistentiam Episcopo praestandam tam intra quam extra Cathedralem, atque etiam privatim Ordinationes peragenti, rescribendum censuerunt: „Serventur Decreta in una Veliterni. diei 6. Septembris 1698, in Grossetana diei 16. Septembris 1645, ac Civitatis Ducalis diei 7. Decembris 1698, nec non Caeremoniale Episcoporum“. diei 23. Maji 1835 n. 4740.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi extra Cathedr.*

h) Paramenta.

I. Locus induendi.

Canonici assistentes non valent se induere et exuere s. paramentis super solio in loco proprii scanni, sed potius, interim aliis Canonice eorum munere fungentibus, descendere debeant de solio ad propria stalla canonicalia ibique s. vestes assumere et post completum Officium deponere. n. 4435 ad 3 die 24. Sept. 1788.

Vd.: *Diaconi assist. in Ord. conf.* decr. n. 4732.)

II. Quae.

Cf.: *Canonici ass.* (param.)

Canonici assistentes Episcopo non Albam sed Rocchettum vel Collam

quoquo modo vel forma ad regionis morem compacta illa sit et consuta, debent induere una cum amictu subtus dalmaticam vel aliud chori peculiare Insigne. n. 4176 ad 2 die 4. Sept. 1745.

i) Porrigunt SSmum.

Vd.: *Ostensorium* (quis porrigit etc.); *Diaconi assist. Episcopi* (stola).

Celebrante Praesule in Solemnitate Corp. Chr. non debet Canonicus cantans Evangelium etc. sed Diaconus assistens a dexteris in throno indutus tantum dalmatica tradere, accipere de manu Celebrantis SSmum. et deponere super altare. n. 2944 ad 4 die 1. Mart. 1681.

Ad dubium: An Capituli Dignitates excludi possint ab Assistentia Episcopi SS. Sacramentum deferentis in Coena Domini? S. C. resp.: Negative et servanda Caeremonialis dispositio. n. 4610 ad 3 die 6. Maji 1826.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Nec video nec intelligo, quo argumenti genere queant se tueri, qui dubium proponunt voluntque assistentiam a Dignitatibus non deberi Episcopo Sacramentum deferenti ad paratum Sacellum Feria V. in Coena Domini, hoc officium rejicientes in Diaconum et Subdiaconum, qui Missae inservierant. Qui novitatem hanc nituntur inducere, oculos tantisper intendant in Caeremoniale Episcoporum *lib. 2 cap. 23.*, in quo agitur de *Feria V. in Coena Domini num. 12.* ubi legitur: quo facto Episcopus *redit ad Altare et Diaconus assistens* (ut distinguatur a Diacono, qui ministravit in Missa) *et non alius, cum debitis reverentiis capit Sacramentum de Altari et illud stans offert Episcopo*: et paulo post *Ministri assistentes* (non Diaconus et Subdiaconus Mis-

k) In Processione.

Episcopo SSmum. processionaliter deferenti assistere debere duo Canonicos dalmaticis indutos hinc inde procedendo, et ad id cogi posse, si renuant. n. 4419 ad 2. 3. die 18. Decb. 1784.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSmum. decr. n. 4672).

l) In Sabbatho sancto.

Caerem. (Lib II. c. XXVII.) de assistentia duorum Diaconorum non loquitur nisi postquam ipse Episcopus missalia paramenta accepit, tempore, quo Prophetiae cantari debent, quaeritur: an praedicti Diaconi praebere possint assistentiam, cum ignis incipit benedici et cantatur *Exultet?* S. C. resp.: Posse, maxime ad praeconium, prout dicitur ex Caerem. Episcop. in Sabb. s. n. 2946 ad 1 die 19. Apr. 1681.

Quando deponunt Paramenta violacea? Vd.: *Lytaniae in Sabb. s.* (Depos. Param.)

m) Stantes vel genuflectentes

Episcopo legente Epistolam, Graduale et Evangelium Canonicos assistentes discoopertos stare debere. n. 2883 ad 7 die 6. Maji 1679.

Vd.: *Canonici Cath.* (genufl.)

n) Stola.

Ex duobus Diaconis assistentibus Episcopi saltem primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus ponendum sit vel deponendum SSmum., parari debere cum stola. n. 4421 ad 2 die 17. Sept. 1785.

o) Vertunt folia.

Cf.: *Assistens.*

Canonici assistentes tenentur folia missalis revolvere et digito indicare

sae) hinc inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis. Quod si adhuc dubitas, lege *Memoriale Rituum*, in quo praescripta in Caeremoniali clare et ordinate enumerantur. Dum ibi agitur de Processione cum SSm. Sacramento ad sacellum §. IX. *num. 1.* legitur: *Episcopo parato, accedit Presbyter assistens . . . recedentibus Diacono et Subdiacono in Secretarium pro deponendis Albis et sumendis paramentis super Rocchettum sicuti et caeteri Canonicorum etc. . . ; in suppedaneo genuflectus Sacramentum incensat, adjuvantibus Presbytero et Diaconis assistentibus* (non Diaconus et Subdiaconus Missae) *qui jam recesserant et amicti paramentis Ordini convenientibus se aliis Canonicis adjunxerunt.* Non nisi igitur qui Caeremoniale ignorat opinari potest, quod in solemnibus hac SSmi. Sacramenti delatione ab assistente Episcopo facienda, non ei teneantur debitum obsequium ac servitium praestare, a quibus id exigit qualitas functionis pontificalis.

Ad dubium: Post Missam Pontificalem Feriae V. in Metrop. Pisana duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in Secretarium ad deponendam Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus et Subdiaconus Missae, Archiepiscopus Sanctissimam Eucharistiam ad Sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis Functionibus Sanctissimi Sacramenti ritu Pontificali ab Antistite celebrandis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri cum Amictu et Alba parati, quam super Amictu et Rocchetto Dalmatica induti. S. C. resp.: „Serventur in omnibus etiam in Vestibus Diaconorum Assistentium Caeremonialis Episcoporum et memorialis Rituum dispositiones“. n. 4672 ad 18 die 12. Novbr. 1831.

legenda per Episcopum stantem in Throno. n. 3845 ad 6 die 27. Febr. 1712.

3) Episcopi Administratoris.

Ad dubium: An Ep. Adm. Pontificalibus celebrans possit habere Diaconos assistentes?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit.:

„Negative“.

Atque ita rescribendum rata est, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 7 die 23. Sept. 1848.

4) Episcopi Suffraganei.

Vd.: *Suffraganeus* (Celebrans, Assistens et Ministri).

DIACONI ET SUBDIACONI.

1) In Coena Dom. in Consecr. ss. Oleorum.

Vd.: *Coena Domini*.

2) In Funeribus.

Vd.: *Dalmatica et Tunicella in process. funebri*.

DIACONUS.

1) Aptat s. Hostiam Ostensorio pro exposit. SSmi.

Vd.: *Hostia* (Immittenda etc.)

Ad dubium: Quum Sacrista Presbyter Supperpelliceo et Stola indutus adstet Canonico solemniter celebranti, dum in Ostensorio reponitur Hostia pro renovatione et expositione SSmi. Sacramenti, poteritne Diaconus hoc in casu manere ad sinistram Celebrantis, eo quod idem Sacrista eo tempore ejus vices gerat, aut necesse est ut veniat ad cornu Epistolae nil ibi factururus?

S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Esse Officium Diaconi, et non Sacristae“.

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 17. die 11. Sept. 1847.

2) Potestne domum benedicere?

Vd.: *Bened. domus*. (decr. n. 4757).

3) Distribuitne s. communionem?

Diaconus, in ord. tantum Diaconatus constitutus, extra casum necessitatis non potest distribuere s. communionem Fidelibus n. 4379 die 25. Febr. 1777.

4) Num potest SSmm. exponere et cum eo benedicere?

Vd.: *Expositio SS. Sacramenti*. (Exponens).

Ad dubium: An in expositione SSmi. Sacramenti extra Missam Diaconus solus possit vicem gerere Sacerdotis in exponendo et recondendo, cumque SSmo. Sacramento benedicere Populo antequam Ostensorium in Sacrarium reponat?

S. eadem C. . . respondendum censuit:

„In exponendo tantum et recondendo SSmo. Sacramento“.

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 11. die 11. Sept. 1847.

5) Potestne sepelire?

Diaconus cum Pluviali non potest cadavera comitari ac de licentia Parochi benedicere sepulturam. n. 5102 ad 12 die 11. Sept. 1847.

DIACONUS MISSAE.

1) Cantat Exultet.

Vd.: *Cereus Paschalis; Oratio pro Imperat.; Cereus Paschalis*. (Bened.; Modus.)

Ad dubium: An in Sabb. s. retinenda sit consuetudo Tiburtinae Ca-

thedr., ex qua post benedictionem ignis alius Diaconus diversus ab eo, qui Celebranti assistit et totius Missae Officio debet inservire, albis vestibus indutus, debitis caeremoniis arundinem accendit et ad Legile procedit ad cantandum *Exultet*; quo cantato s. vestes deponit et postea ad chorum cum aliis revertitur? S. C. resp.: Negative, sed consulendum SSmo. juxta votum. n. 4603 ad 2 die 27. (30.) Mart. 1824.

Vd. *inf. decr. n. 4672*.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Eruditissimus Meratus hac de re agens *part. 4. tit. 10. de Sabbatho Sancto rubric. 4 num. XI.* notat, quod: *Diaconus debet esse ille idem, qui in Missa et Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium Exultet etc., ut male multi faciunt, hoc enim repugnat omnino rubricae Missalis, neque in ullo habetur Caeremoniali, cum sit quiddam addere, quod est contra Bullam Pii V., et maxime notandum cum Corsetto cap. 8. num 3. et Hyppolito a Portu rubric. 4. in adnotat. num. 7.* Haec profecto est generalis regula in rubricae praescripto fundata; quae tamen tanto cum rigore accipienda non est, ut et praeceptivis adnumeranda sit, et nullus detur casus, qui non aliquam in quibusdam circumstantiis exigat moderationem; quamobrem Sacra Congregatio regulae insistens, primum proposito dubio respondit: *negative*, verumtamen omnia considerans, quae in casu concurrunt et indulgentiae dant locum, rem supremo Pastori definiendam remisit addens rescripto: *consulendum SSmo. juxta Votum*, quod erat pro *indulto servandae consuetudinis, attentis peculiaribus circumstantiis in casu,*

de quo agitur: Et SANCTITAS SUA adprobando et confirmando ejusdem S. Congregationis Votum *benigne annuit*. Quum enim ad Praeconium canendum Diaconus eligendus sit, qui bene polleat cantu Gregoriano, ne asperitate vocis et dissonantia notarum adstantibus offensionem et scandalo sit, multosque ad risum potius commoveat quam ad devotionem alliciat: cumque alicubi ad officium Diaconi pro sacris actionibus et Missa specialiter aliquis teneatur, qui tamen ad modulandum, vocemque notis aptandam habilis non sit; satius esse videtur alium substituere ad canendum Praeconium, quod multum requirit idoneitatis. Hinc novum non est, quod in permultis Ecclesiis mos invaluerit ad unum Praeconium canendum alium seligere Diaconum ab eo diversum, qui Celebranti assistere debet. Hujusmodi autem mos, qui Praesidum vigilantiam ut fugiat, haud credi potest; nihilominus tacite toleratur; sed tolerantia locum non haberet, si rubrica aliquam quandoque moderationem aut dispensationem aut benignam interpretationem non admitteret. In nostra facti specie rationabilis causa dispensationis non deerat; siquidem Episcopus ipse fatebatur in Tiburtino Clero perpaucos esse ad hujusmodi officium aptos, praesertim quia ea in Cathedrali Diaconus, qui Celebranti tenetur assistere, unus est ex duobus, qui ex fundatione Cardinalis Marescotti praebenda fruuntur cum onere inserviendi in officio Diaconi et Subdiaconi Canonicis celebrantibus. Plerumque idcirco fit, ut ex his nullus sit aptus ad cantum Praeconii: en necessitas alterum ad hoc munus sufficiens. Aderat igitur in casu proposito congruus ac rationabilis titulus, quo Tiburtinae Cathedralis Capitulum servandae consuetudinis indultum obtineret.

Ad dubium: An tolerandus sit usus